1182 quibus numquam se audebat ingerere, nisi
facta prius confessione ad genua cuiuslibet fa-
miliarissimi sacerdotis. Sane de occultis ipsius
hoc compertum habemus, quod caelibis vitae
sicut professor, ita fuit et sectator, omni quidem
tempore sui pontificatus, sed maxime diebus
Friderici ducis, in quibus multis angebatur
adversis, sicut loco suo dicemus; post cuius
excessum pace iam ecclesiae reddita, si forte
interdum cecidit, non miramur scientes, quod
virtus, quae in bello acquiritur, in pace quan- [illegible]
doque amittitur. Redit tamen semper in id
ipsum timoris Dei, quo fundatus erat et sig-
natus in diem redemptionis aeternae pertinens
in eorum consortium, de quibus scriptum est:
quoniam qui natus est ex Deo, non peccat, hoc 1. Joh.
est non permanet in peccato, sed generatio ~~eius~~ Dei 5,18
~~contra~~ conservat eum. Porro pauperibus defendendis ita
tradiderat cor suum, ut pro eorum defensione cf. Eccli. 39,6
non vereretur incurrere offensam primatum
terrae absterrens eos ab huiusmodi ausibus
modo gladio spiritus, hoc est anathemate, modo
gladio materiali, hoc est manu laica, quam

sed g. eius contra eum überliefern beide Abschriften offensichtlich verderbt